

Marjo Lh. N° 17
Bouwkund. Leaf IX D'heer Wengels
van Parys Ottena Capucynstraat N° 6

7738

Kleeding
Nazareth uit Waalwijk
van de refugie van
Antwerpen

# Modus
## Dandi Habitum Religionis
## et
## Recipiendi Vota Solennia
## Quem
## ad Usum Religiosarum
## De
## Nazareth ex Waelwijck
## Antverpiæ Refugarum.

Conscribi Curavit R. admo: D.ⁿ Guil: Ant: Joseph: De Bezerra Ecclesiæ Cathe: Canonicus Graduatus, et Decanus Districtus Antverpiensis. Anno. 1738.

# De Investitione Sororis ordinis Beati Patris Augustini.

Postquam puella vel Persona quæ ad habitum religionis assumenda est, sufficienter in iis quæ Religio postulat examinata fuit: die ad hoc statuto, post Horam, quæ præcedit missam maiorem ante gradum altaris adducatur, ibique prostrata interrogetur à

## Decano.

Quæ est petitio tua Soror. N. quâ respondente. Peto Dei misericordiam: & Societâtem pauperum Sororum ordinis Beati Augustini.

Proponat ei Breviter, quas molestias et tentationes in conversatione Regulari sustinere necesse sit. et, interroget, si ad hæc omnia subeunda, et susti-

„nenda parata sit. quæ si respon-
„derit se, de misericordia dei, et
orationibus sororum suarum
confisam, omnia pro salute
sua libenti animo velle subire,
dicatur ei. **Dominus** det tibi
hæc omnia **Fideliter** adim-
„plêre, et cursum tuum fide-
„liter adimplêre amen.

Deinde surgens offerat
ardentem Cereum ad altare
et postquam redierit ad locum
suum, incipiat Decanus
flexis genibus. Hymnum,
et Cantetur usque ad finem.



Ve ni cre-a tor Spi-ritus

℣. Emitte spiritum tuum
et creabuntur.
℟. et renovabis faciem terræ.

## Oratio

Deus qui corda Fidelium sancti Spiritus illustratiône docuisti: da nobis in eôdem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatiône gaudêre.

Actiônes nostras quæsumus domine aspirando præveni, & adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio a te semper incipiat, & per te cepta finiatur. per Do:

Deindè legantur psalmi.
Dominè quis habitavit etc.
Domini est terra etc.

Antiphona. Cor mundum crea in me deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis.

Kÿrie Eleÿson.
Christe Eleÿson.

Christe audi nos.
Sancta Maria.
Sancta dei genitrix.
Sancta virgo virginum.
Sancte Michael.
Sancte gabriel.
Sancte Raphael.
Omnes sancti Angeli & archangeli.
Sancte ioannes Baptista.
Sancte ioseph.
omnes sancti patriarchæ & prophêtæ.
Sancte Petre.
Sancte Paule.
Sancta Andrèa.
Sancte Jacobe.
Sancte Joannes.
Sancte matthæe.
Omnes sancti apostoli & Evangelistæ.
Sancte Stephane.
Sancte laurenti.
Sancte Vincenti.

Sancte Jonati.
Sancte Dyonisi cum sociis tuis.
Sancte Mauriti cum sociis tuis.
Sancte Augustine.
Sancte Gregori.
Sancte Nicolâe.
Sancte Benedicte.
Sancte Bernarde.
Omnes sancti Confessores.
Sancta Maria Magdalêna.
Sancta Martha.
Sancta Agnes.
Sancta Agatha.
Sancta Cæcilia.
Sancta Lucia.
Sancta Ursula cum sodalibus tuis.
Sancta Elisabetha.
Omnes sanctæ Virgines, Viduæ, & Continentes.
Omnes Sancti.
Propitius esto. parce nobis.
Propitius esto. libera nos D.

ab insidiis diaboli.
ab immunditia mentis & corporis.
ab omni malo.
Per incarnâtionem & nativitâtem tuam.
Per passiônem & crucem tuã.
Per sanctam resurrectionẽ & gloriôsam ascensionẽ tuam
Per adventum Spiritus sancti paraclyti.
in die iudicii.
Peccatôres. te rogâmus &c.
Ut pâcem nobis dones. te &c.
Ut indulgentiam & remissionem omnium peccatôrum nobis donâre dignêris. te
Ut gratiam sancti spiritus cordibus nostris infundere dignêris. te &c
Ut domnum apostolicum & cunctum ecclesiasticum ordinem in sancta religione conservare dignêris. te &c.

Ut antistitem nostrum in
tuo sancto servitio conser-
„vâre dignêris.
Ut regem nostrum & cunctũ
populum christianum pretio-
„so sanguine tuo redemptum
„conservâre dignêris.
Ut priores nostros & omnes
congregâtiones illis commis-
„sas in sancta religiône con-
„servâre dignêris.
Ut regulâribus disciplinis
nos instruere digneris.
Ut famulas tuas religiônis
habitum petentes conserva-
„re dignêris.
Ut eis in sancto proposito
perseverantiam dones.
Ut eas præsenti sæculo ren-
„untiâre facias.
Ut ad promissum gloriæ tuæ
præmium nos perducere dig-
„nêris.
„Ut nos exaudire dignêris.

Fili dei. te Rogamus &c.
Agnus dei, qui tollis &c. parce:
Agnus dei, qui tollis &c. exaũ:
Agnus dei, &c dona nobis pacem.
Christe audi nos.
Kÿrie Eleÿson.
Christe Eleÿson.
Kÿrie Eleÿson.

℣. Pater noster. *secretò posteà*.
℟. Et ne nos inducas: &c.
℣. Salvas fac ancillas tuas.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuêre eas.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis.
℟. Et filius iniquitâtis non appônat nocêre eis.
℣. Esto eis domine turris fortitudinis.
℟. a facie inimici.
℣. Domine exaudi oratio &c.

℟. Et clamor meus &c.
℣. Dominus vobiscum. &c.

## Oratio.

Omnipotens sempiterne deus
qui iustis supplicantium peti-
„tionibus semper præsto es, ex-
„audi preces nostras, quas tibi
pro famula tua humiliter
offerimus, quæ mundi pompis
abrenuntiare, atque habitum
sæcularem deponere festinat:
præsta, ut per hoc quod pio men-
„tis affectui inchoat, gratia tua
„largiente æternæ vitæ præmia et
remedia comprehendat. per D:

## Oratio.

Deus amator castitatis et auctor
qui beatum ioannem Evange-
„listam et Apostolum, relictis
„thalamis te sequi fecisti vocan-
„tem: ut servatâ virginitate cæ-
„lestis secreti illum faceres esse
consortem. tribue quæsumus
hanc famulam tuam, ipsius
Apostoli intercedentibus meri-

„tis semper tuis inhærere mandatis
et relictis carnalibus desideriis,
et illicitis voluptatibus tuam in
omnibus sequi voluntatem, ip-
„sumque animabus et corporibus
famulæarum tuarum tribuas
custodem, quem in cruce positus
matri tuæ sacratissimæ voluisti
fieri provisorem, ut constrictis
luxuriæ frænis digna efficiatur
castis visceribus suscipere te
deum mansorem. qui vivis et
regnas, cum deo patre in u &c.

Deinde Aspergat vestes,
quibus Novitia induenda est,
aquâ Benedictâ. et statim
exuat eam ~~[illegible]~~ Decanus habitu
sæculari dicens:

Exuat te Dominus veterem
hominem cum actibus suis
amen.

Et dum induit eam
Habitu Religionis dicat.

Induat te Dominus novum
hominem, qui secundum deum

Creatus est, in iustitia et sanc-
"titate veritatis, Amen.

Interim voce Cantetur:

℟. **Regnum mundi.**

quo finito sequitur Dominus Vobiscum. Oremus sine cantu.

oratio.

Deus Misericors deus clemens cui bona cuncta placent: sine quo nihil sanctum inchoatur; nihilque bonum perficitur; ad-
"sint nostris humilibus precibus aures tuæ pietâtis: et hanc fa-
"mulam tuam, cui in tuo no-
"mine hoc sanctitatis vestimen-
"tum imposuimus, â mundi im-
"pedimento, et â sæculari desi-
"derio defende: et Concede ei, ut in hoc sancto proposito devota persistat, et remissio-
"ne perceptâ ad Electorum
"tuorum consortium pertin-
"gere valeat. per Dominum

Verte folium

oratio.

Tú famúlæ túæ qúæsúmús Domine, bonos mores placatús institúe, tú ei qúod tibi beneplacitúm est, clementer infúnde, út et tibi devota sit, et túa valeat beneficia promerêri. per Christúm Dõ:n.

oratio.

Da qúæsúmús Domine famúlæ túæ, in túa fide et sinceritate constantiam, út in charitate divinâ firmata, núllis tentationibús, ab ea integritate vellatúr. per Dominúm n.

finitis Orationibús ~~peracta~~ Decanús confessione factâ Missam more solito prosequátur, et Novitia post Agnús Dei, ad sacram comúnionem accedat.

Missâ vero finitâ, ~~peracta~~ Decanús depositâ casúlâ, convertat se ad Novitiam, et Dicat Orationem seqntem.

Dominús Vobiscúm. Oratio.
Oremús.

Deús plasmâtor corporúm, afflâtor animârúm, qúi núllam spernis ætatem, non sexúm improbas, núllam conditionem túâ gratiâ dúcis indignam sed omnium æqúalis es creator et redemptor; tú hanc famúlam túam, qúam ex número gregis túi bonús pastor Eligere; et cúi ad conservandam coronam perpetúæ virginitâtis, castimoniam, animæ dignâtús es conferre, túæ protectionis scúto circúmcinge, út ad omne opús virtútis et gloriæ magistrante sapientiâ præparatâ, vincens carnis illecebras, et licita connúbia recúsans insolúbilem filii túi Domini nostri jesú christi copúlam mereatúr.

Húic petimús Domine arma súggeras non carnalia, sed spiritús túi virtúte potentia, útte

múniente eiús sensús et membra
in eiús corpore non possit domi-
" nari peccatúm, atqúe sub túa
gratia vivere cupienti, nihil
sibi infestator malorúm et ini-
" micús bonorúm de hoc vase no-
" mini túo consecrato vendicare
" prævaleat: omnem in eâ genúi-
" num calôrem imber gratiæ cæ-
" lestis extinqúat, lúmen verò
perpetúæ castitâtis accendat,
facies scandalis púdica non pa-
" teat, nec incaútis occasionem
" tribúat negligentia delinqúendi,
sitqúe in eâ casta virginitas, or-
" nata pariter et armata, fide
integrâ, spe certâ, charitate
sincerâ, et præparata animo
ad continentiam virtús tanta
præstetúr, qúæ súperet diaboli
úniversa figmenta, atqúe con-
" temnendo præsentia, fúturá
sectetúr, ieiúnia carnalibús
epúlis præferat, et lectiones
sacras et orationes conviviis et
potationibús anteponat, út ora-
" tionibús pasta, eruditionibús

expleta, opus gratiæ virginalis
exerceat. iis virtutum armis,
hanc famulam tuam interius,
exteriusque communiens præ-
" sta ei inoffensum cursum sacræ
castitatis explere. per eumdem
Dominum &c.

hac oratione expletâ Decanus
Deus benedicat aspergat Novitiam
aquâ Benedictâ, et tradens ei
Cereum benedictum et accensu
introducat eam ad Clausuram
et interim cantentur Antiph.
Prudentes virgines. tunc sur-
" rexerunt. veni sponsa &c.

ingressa verò clausuram
â Priorissâ et supprioriss â,
antè fores in osculo pacis susci-
" pitur.

# Jncipit Officiũm Professionis.

Cũm tempus quo Novitia Benedici debeat advenerit, post offertoriũm maioris missæ, Benedictio seu Professio celebranda est hoc modo. In primis interrogẽtur Novitia antè gradũm Altaris prostrata, an benè deliberata profiteri velit. Quæ cũm professiõnem toto corde se desiderare responderit. R. Dẽ. sibi aliqua de austeritate ordinis, si sibi videbitur repetere potest; Etsi nihilominus in desiderio suo fixa permanserit, Surgens offerat Cereũm Ardentem ad Altare: & Decans genua flectens imponit An-

„ tiphonam sequentem.

Veni sancte Spi-ritus.

℣. Emitte spiritum tuum et creabúntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

Oratio. Oremus

Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eôdem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatiône gaudêre!

Actiônes nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adiuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio & operatio, a te semper incipiat, & per te cepta finiatur. Per Dom̃. &c.

Deindè Conversús ad Novitiam, vestimenta quibús indúenda est cúm orationibús sequentibús Benedicat.

Dominús Vobiscúm. Oremús

Domine Jesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitâtis induere dignatus es: obsecramus immensam tuam largitátem & abundantiam, ut hoc genus vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiæ & humilitatis indicium, abrenuntiantibus sæculo Soróribus ferre sanxérunt, tu ità Bene✠dicere & sancti✠ficare dignéris: ut hæc Famula tua, quæ hoc súerit usa, te mereátur induere. Qui Vivis & Regnas cúm Deo Patre in Unitate Spiritús Sancti Deús: per omnia, &c. Amen.

## Oremus.

Deus æternôrum bonórum fideliſſime promiſſor, & certiſſime perſolûtor, qui veſtiméntum ſalútis, & indúméntum iucunditatis æternæ fidelibus tuis promiſiſti, clementiam tuam ſuppliciter exoramus: ut hæc induméntâ humilitatẽ cordis, & contémptum mundi ſignificántia, quibus famula tua ſancto & viſibili informanda propóſito: propitius benedícas: & beatæ caſtitatis habitum quem te inſpirante ſuſcipit, te protegente cuſtódiat, & quam veſtiméntis venerandæ paſſiónis tuæ temporaliter induis, beatâ facias immortalitáte veſtiri. *Per Dominúm noſtrúm Jeſúm Chriſtúm Filiúm tuúm. &c. Amen.*

## Benedictio Veli. Oremus

Caput omnium fidelium De-
„us, & totíus corporis ſalvâtor
Eccléſiæ, hoc operiméntum
candidi veláminis, quod fa-
„mula tua propter tuum, tuæque
genitrícis Virginis Maríæ a-
„mórem ſuo capiti eſt impoſitû-
„ra: dexterâ tuâ ſanc✠tifica,
& hoc quod per illud mÿſticè
datur intelligi tua iuſſa ſem-
„per corpore pariter & animo
incontaminata cúſtodiat: ut
quando ad ſanctorum remu-
„neratiónem perpetuam, cum
prudéntibus & ipſa virgini-
„bus pręparáta advénerit, te
perducénte ad ſempitérnæ
felicitatis nuptias intròire
mereatur. Qui Vivis et Reg-
nas deus in Sæcula Sæculo-
rum. ℟. Amen.

Deindè Aspergat Vestes Aquâ Benedictâ, et Statim Exúat eam Habitu Novitiatus Dicens.

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis. R. Amen.

Dúm indúit eam vestibus Benedictis, et Dicit.

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. R. amen.

Dúm imponit ei Velúm Dicens.

Accipe Velum sacrum, quo cognoscâris mundum contempsisse, et te Christo Sponso Virginum perpetuo súbdidisse.

Interim Cantetúr Reg-

=num Mundi.
Postea dicit cum illa.

Jndúit me dominus vestimẽto salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me et tamquam sponsam decoravit me coronâ.

Dominus vobiscum.
oremus.

Deus indulgentiæ pater, qui severitatem tuæ districtionis temperans indúlsisti, ne filius portet iniquitatem patris, & qui mirâ dispensatione etiam malis benè utentes tuæ dignationis gratiam per eos frequenter operâris; quæsumus clementiam tuam, ut huic famulæ non obsistat, quod habitum sanctæ religiônis per nos tantâ ac tali re indignos suscipiat, sed mÿsterium, quod per nos exhibétur exterius, tu interius

per donum Spiritûs sancti exequáris. *Per Dominum nostrum Jesum &c. Amen.*

*Finitâ Collectâ surgens Novitia: Dicat hunc Versum ter.*

Suscipe me Domine secundum
"dum eloquium tuum & vi-
"vam: & non confundas me
ab expectatione mea.

*Et singulis vicibus genua flectat. quod si plures fuerint, una post aliam dicat,*
"*et iterum se prosternat.*
*Deindè Decan~ imponat Antiphonam.* Suscepimus
"Deus misericordiam tuam
in medio templi tui.
*Et Dicuntur Psalmi.*
Magnus Dominus.
Miserere Mei.
Ecce quam Bonum.

Repetitur Antiphona, à choro. Suscepimus Deus.

Postea. Kÿrie Eleÿson. Christe Eleÿson. Kÿrie Eleÿson. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. sed li. &c.

℣. Salvam fac servam tuam.
℟. Deus meus sperantem &c.
℣. Mitte ei domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuêre eam.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et filius iniquitatis. &c.
℣. esto ei domine turris fortitudinis.
℟. à facie inimici.
℣. Domine exaudi orationẽ meam.
℟. Et clamor meus ad te &c.

Dominus Vobiscum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne deus, immensam clementiã tuam humiliter imploramus, ut præsentem famulam tuam, cui in sancto tuo nomine habitum Religionis imposuimus, Bene✠dicere, & sanctificare✠ dignêris: quatenus in proposito Regulari, sic tibi deservire valeat, ut ad vitam pervenire mereatur æternam. Per Dominum Nostrum.

Oratio. Oremus.

Deus misericors, deus clemens, cui bona cuncta placent, sine quo nihil sanctũ inchöatur, nihil quod bonum proficitur: adsint nostris humilibus precibus aures tuæ pietatis, et hanc

famulam tuam, cui in tuo
nomine hoc sanctitatis ves-
timentum imposuimus, à
mundi impedimento, à sæ-
culari desiderio defende:
& concede ei; ut in hoc sanc-
to proposito devotè perstitat,
& remissiône peccatôrum per-
ceptâ ad electórum tuôrum
consortium pertingere va-
leat. Per Christúm Dominm.

Post hæc súrgens Novitia,
accedat ad dexterúm Cornú
altaris, & legat altâ voce
professionem súam, si litte-
ras scit. Si autem legere nes-
cit inscribat signúm crúcis,
et â magistra in gratiam
Novitiárum legatúr pro-
fessio in hunc modúm.

Sequitúr Forma
Professionis.

Ego Soror N. promitto Sta-
„ bilitâtem & conversiônem ~
môrum meôrum, perpetua
continentiam, carentiam
proprii, & Obedientiam se-
„ cundum Regulam Sancti
Augustini sub perpetua clau-
sura coram Deo, & omnibus
sanctis, Domnæ Nostræ Prio-
„ rissæ huius Monasterii, quod
constructum est, in honôrem
Beatissimæ Virginis Mariæ:
& sanctorum mariæ Magda-
lenæ, Marthæ, & Lazari. in
Præsentia Domni N. Prioris
Rectoris. Vel Comissarij
hûius Monasterii.

Lectâ Professione offerat
eam Novitia ambabûs ma-
„ nibûs super altare, eoque
osculato ad gradûm alta-
„ ris revertitûr & prosternitûr
et si plûres fuerint, una post
aliam procedat.

## Forma Professionis. Moderna.

Ick Süster N:N: Belove aen Godt almachtigh, de alder H:ste Moeder Godts Maria ende alle Godts lieve Heijlighe Eeuwige Reijnigheijt, te leven sonder Eijgendom, Eeuwigh slot, ende gehoorsaemheijt aen mijnen Hooghweirdighsten Heere den Bisschop van Antwerpen, ende aen de Eerweirde Vrouwe N:N. Priorinne van dit Clooster onder den Reghel van den H: Vader Augustinus in de tegenwoordigheijt van den seer Eerweirdighen Heer Mijn Heer N:N: den Land-Deken.

Deindè dicat Decãn: tribús vicibús. ℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

Cæteris Respondentibús. ℟. a templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.

Oremús. oratio.

Deús qúi per cæternúm filiúm túúm cúncta creásti, qúique múndúm peccatis inveteratúm per sanctæ incarnationis eiús mijsteriúm renovare dignatús es: te súppliciter excorâmús, út eiúsdem Domini nostri Jesú Christi gratia súper hanc famúlam túam abrenúntiationem sæcúli profitentem clementer respicere dignetúr: per qúam in spiritú súæ mentis renovata veterem hominem cúm súis

actibus exuat, & novum qui secundum deum creatus est induere mereatur. Per Eundem Christum Dominum N.

## Collecta. Oremus.

Domine Jesu Christe, qui es Via, sine qua nemo venit ad patrem, quæsumus Benignissimam clementiam tuam ut hanc famulam tuam â carnalibus desideriis abstractam pariter disciplinæ. regularis deducas, et quia peccatores vocare dignatus es dicens: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et Ego reficiam vos: præsta ut hæc Vox invitationis tuæ ità in eâ convalescat, quatenus pondus peccatorum deponens, et quam dulcis es gustans, tuâ refectione salutari sustentari mereatur, et sicut de tuis ovibus

attestari dignatus es, agnosce eam inter oves tuas, ut ipsa te sic agnoscat, ut alienum non sequatur sed te, neque audiat vocem alienorum, sed tuam quia dicis, qui mihi ministrat me sequatur. qui Vivis. &c.

## Collecta. Oremus.

Sancte Spiritus qui te deum ac Dominum revelare mortalibus dignatus es, immensam, tuæ bonitatis gratiam postulamus; ut sicut ubi, vis spiras, sic et huic famulæ tuæ affectum devotionis indulgeas, et quæ tua sapientia est condita, tua quoque prudentia gubernetur, quam iuxta consuetam tibi gratiam unctio tua de omnibus doceat: et per intercessionem beatissimi Augustini, quem præcipuum huius sanctæ institutionis legislatorem

dedisti, nec non et aliorúm sanc-
„torúm ad qúorúm nomina pe-
„titionem facit: fac eam â vani-
„tate sæcúli veraciter converti,
et sicút es omniúm peccator-
„úm remissio; deprimentis im-
„pietatis obligationes in eâ dis-
„solve, et ad observantiam hú-
„iús sancti propositi fac eam
certatim fervere, út in tribú-
„lationibús, et angústiis túâ
indeficienti consolatione va-
„leat respirare, et sobria, iús-
„ta, et pia, per veram húmili-
„tatem, atqúe obedientiam
in fraternâ Charitâte fún-
„data, qúod te donante pro-
„miserit, felici perseveran-
„tiâ compleat, qúod ipse præ-
stare dignêris, qúi cúm deo
patre, sanctoqúe únigenito
filio eiús Domino nóstro
jesú christo vivis et Regnas
deús. per omnia sæcúla
sæculorúm. Amen.

Oratio. oremús.

Deus, qúi famúlam tuam
â sæcúli vanitate convúlsam
ad súpernæ vocationis accen-
„dis amorem, pec=tori illius
púrificando illabere, et gra-
„tiam ei, qúâ in te persevéret,
infúnde, út protectionis túæ
múnita præsidiis, qúod te
donante promiserit impleat,
et súæ professionis execútrix
effecta ad ea, qúæ perseveran-
„tibús in te dignatús es pro-
„mittere pertíngat. per Chris-
tum Dominúm nostrum.

Collecta. Oremús.

Deús qúi renúntiantibús
sæcúlo mansiônem paras
in Cœlo: dilata hújús con-
„gregationis habitaculúm
cœlestibús bonis, et præsta,
út fraternæ charitatis com-
„pagine teneantúr únanimes,
Continentiæ præcepta cús-

„todiant, sobrię, simplices, et
quietę gratis sibi data profes-
„sionis tuæ gratiam cog-
„noscant, concordet illarum
„vita, cum nomine, ut profes-
„sio sentiatur in ope. per
„Dominum nostrum etc.

Finitis Orationibus.

℟. Dec. Missam more solito prosequiatur: et post Agnus Dei, professa ad sacram Com-
„munionem accedat.

Missâ vero finitâ,

℟. Dec. depositâ Casulâ Convertit se ad professam, et dicat orationem sequen-
„tem. Dominus vobiscum

Oratio. Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus castorum corporum benignus

inhabitator et incorrúptarúm
amator animarúm, qúi húma-
„nam 3úbstantiam in primis
„parentibús diabolicâ fraúde
vitiatam, ità in verbo túo, per
qúod omnia facta 3únt, reparas:
út eam non 3olúm ad primæ
originis innocentiam revoces;
3ed etiam ad experientiam
qúorúmdam bonorúm, qúæ in
novo 3æcúlo 3únt habenda
perdúcas, et obstrúctos adhúc
conditione mortalium, iam
ad 3imilitúdinem provehas
Angelorúm: Respice 3úper
hanc famúlam túam, qúæ in
manú túâ continentiæ 3úæ
propo3itúm collocans, tibi
devotionem 3úam offert, et præs-
„ta, út ei 3it per donúm 3piritús
túi, prúdens modestia, 3apiens
benignitas, gravis lenitas,
casta libertas, in charitate
ferveat, et nihil præter te dili-
„gat, laúdabiliter vivat, lauda-
„riqúe non appetat, te in 3anc-
„titate corporis, te in animæ

ſúa púritate glorificet, amore te timeat, amore tibi ſerviat, tú ei ſis honor et gaúdiúm, tú voluptas, tú in merôre ſolatiúm, tú in ambigúitate conſiliúm, tú in iniúriâ defenſio, in tribúlatione patientia, in paúpertate abúndantia, in ieiúnio cibús, in infirmitate medicina, in te habeat omnia, quæ diligere appetat ſúper omnia, per te quod profeſſa eſt carnem macerando, caſtiget, et múndúm cúm ſúo principe vincat, quatenús virtútúm floribús adornata cæleſtem ſponſúm cúm oleo præparationis exſpectet, ac lampadibús accenſis cúm prúdentibús virginibús regalem ianúam licenter introeat, et in Agni tui perpetúo comitatú ſine fine permaneat. per eúmdem Dñm

hâc oratione finitâ et Completâ, Decanús aſpergat profeſſa aquâ Benedictâ, et introducat ad Clauſúram: interim Cantentúr

Antiphonæ sequentes. prudentes Virgines. Cum cæteris ut suprà in fine Investitionis. tunc surrexerunt omnes, et quæ paratæ. Veni sponsa Christi.

Ingressa verò Clausuram à Priorissâ et suppriorissâ antè fores in oscula pacis suscipitur. etc

## Psalmus 47.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis * in civitate dei nostri, in monte sancto eius.
Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, * latera Aquilonis, civitas Regis magni.
Deus in domibus eius cognoscetur, * cum suscipiet eam.
Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt: * convenerunt in unum.
Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: * tremor apprehendit eos.
Ibi dolores ut parturientis, * in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.
Sicut audivimus, sic vidimus in civitate domini virtutum, in civitate Dei nostri: * Deus fundavit eam in æternum.
Suscepimus Deus misericordiam tuam, * in medio templi tui.

Secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ:* Justitia plena est dextera tua.
Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Judæ,* propter judicia tua Domine.
Circumdate Sion, & complectimini eam:* narrate in turribus eius.
Ponite corda vestra in virtute eius:* & distribuite domos eius, ut enarretis in progenie altera.
Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi:* ipse reget nos in sæcula.
Gloria Patri &c.

*Psalmus 50.*

*Miserere mei Deus,* secundum magnam misericordiam tuam.
*Et secundum multitudinem miserationum tuarum,* dele iniquitatem meam.
*Amplius lava me ab iniquitate*

mea: * et a peccato meo munda me.
Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: * et peccatum meum contra me est semper.
Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: * ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris.
Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: * et in peccatis concepit me mater mea.
Ecce enim veritatem dilexisti * incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.
Asperges me hyssopo, et mundabor: * lavabis me, et super nivem dealbabor.
Auditui meo dabis gaudium et lætitiam: * et exultabunt ossa humiliata.
Averte faciem tuam a peccatis meis: * et omnes iniquitates meas dele.
Cor mundum crea in me deus * et spiritum rectum innova in visceribus meis.
Ne projicias me a facie tua: * et

Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.
Redde mihi lætitiam salutaris tui: * et spiritu principali confirma me.
Docebo iniquos vias tuas: * et impii ad te convertentur.
Libera me de sanguinibus deus, deus salutis meæ: * et exultabit lingua mea iustitiam tuam.
Domine, labia mea aperies: * et os meum annuntiabit laudem tuam.
Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique: * holocaustis non delectaberis.
Sacrificium Deo spiritus contribulatus: * cor contritum et humiliatum Deus non despicies.
Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: * ut ædificentur muri Jerusalem.
tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, et holocausta: * tunc imponent super altare tuum vitulos.
Gloria Patri, et Filio etc.

## Psalmus 132.

Ecce quam bonum, et quam iucundum, * habitare fratres in unum.
Sicut unguentum in capite * quod descendit in barbam, barbam Aaron.
Quod descendit in oram vestimenti eius: * sicut ros hermon, qui descendit in montem Sion.
Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, * et vitam usque in saeculum.
Gloria patri etc.

## Psalmus 14.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?
Qui ingreditur sine macula, * et operatur iustitiam:
Qui loquitur veritatem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:
Nec fecit proximo suo malum * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

ad nihilum deductus, est in conspectu eius malignus: * timentes autem Dominum glorificat:
Qui iurat proximo suo, et non decipit, * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.
Qui facit haec, * non movebitur in aeternum.
Gloria Patri etc.

## Psalmus. 23.

Domini est terra, et plenitudo eius: * orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.
Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina praeparavit eum.
Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto eius?
Innocens manibus et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec iuravit in dolo proximo suo.
Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium
eum, quærentium faciem dei
Jacob.
Attollite portas principes ves-
tras, et elevamini portæ æterna-
les: * et introibit rex gloriæ.
Quis est iste Rex gloriæ? * Domi-
nus fortis et potens: Dominus
potens in prælio.
Attollite portas principes vestras
et elevamini portæ æternales: *
et introibit Rex gloriæ.
Quis est iste Rex gloriæ? * Domi-
nus virtutum ipse est Rex
gloriæ.
Gloria Patri et filio etc.

M3B
145

A11

6743634
SSE17